

Vide etiam in tit. Consolatio, núm. 3. in tit. Conversatio, núm. 9, 12, 35. in tit. Divitiæ, núm. 36. in tit. Gaudium, núm. 4. in tit. Gula, núm. 8, 15. in tit. Honestas, núm. 4. in tit. Laus, núm. 25. in tit. Loquacitas, núm. 4. in tit. Modestia, Oliositas, núm. 4. in tit. Ornatus et Prælatio, núm. 5, 12. in tit. Religio, núm. 16. in tit. Tristitia, núm. 7. in tit. Virginitas, núm. 1, 6.

LAUS.

1. Laus humana non appeti á sapiente, sed subsequi debet sapientes, et recte facientem, ut illi proficiant, qui etiam imitari possunt, quod laudant. *Aug. de ser. Dom. in monte.*

2. Securitas laudis in laude Dei est. Ubi laudator securus est? ubi non timet, ne de laudato erubescat. *Aug. super Psal.*

3. Bonum laudare, non laudato, sed laudantibus prodest. *Aug. super Joan.*

4. Ibi est á vanitate remota laudatio, ubi etiam vituperatio ab offensione secuta est. *August. ad Diogen.*

5. Non hujus laudis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit: quia et si cuiquam facile est laude carere, dum negatur, difficile est ea non delectari, dum offertur. *Aug. ibid.*

6. Non prohibet videri, ut Deus laudetur, sed videri, ut ipsi laudentur. *Aug. super ill. Matth. 6. Ne justitiam vestram, etc.*

7. Hanc opinionem faciliter præsumptam quæso deponas, tuumque animum, quanvis erga me benevolentissimum, solvas atque eruas: ac de me mihi magis, quam ulli alteri credas. *Aug. in epist. ad Voluf.*

8. Nec valde gaudere debemus, quando laudamur nec contristari, quando vituperamur: quia nec depravare injuria, nec coronare potest laus aliena. *Ibidem.*

9. Quid est, quod dicis, ego dives, ille pauper? Sarcinam tuam commemoras, pondus tuum laudas, læceas laudes tuas, qui miserationes tuas non consideras. *Aug. de Doctr. christ.*

10. Esse humilem est, nolle laudari in se. Qui ergo in se laudari appetit, superbus esse convincitur. *Aug. super ill. psalm. 5.*

11. Apulejus auditoribus suis admirantibus doctrinam commendabat, non aviditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ veritatis. *Aug. super Gen.*

12. Laudamus mendaces, delectamur inaniter, et vani sunt, qui laudantur, et mendaces, qui laudant. Alii laudantur, et ficti sunt: alii laudant, quod putant, et falsi sunt: alii utrorumque præconiis gloriantur, et vani sunt. *Aug. in quadam epist.*

13. Remotis obstaculis vanæ opinionis scelera nuda pensentur, nuda inspiciantur, fallacia et tegmina, et vanæ laudes et gloriæ auferantur, et apparebunt miseriæ peccatorum. *Aug. lib. 5. de civ. Dei.*

14. Dicit sermo divinus, ne laudaveris hominem in vita sua, tanquam si diceret: Lauda post mortem, magnifica post consummationem. Duplici tamen ex causa utilius est, homini memoriæ laudem dare, quam vitæ, ut illo potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio movet, nec laudatum tentat elatio. Lauda ergo post pericula, prædica securum, lauda navigantis felicitatem, sed quum pervenerit ad portum, lauda ducis virtutem, sed quum perductus est ad triumphum. Quis autem dives possit hic sine trepidatione laudari, qui et de præterito meminit se habere, quod doleat, et de futuro videt sibi superesse, quod timeat? *Aug. in Natal. s. Euseb.*

15. Plures in hoc ipso placere cupiunt, quod placere contemnunt: et mirum in modum laus dum vitatur, appetitur. *Hieron in epist.*

16. Vilium satis hominum est et suam laudem querentium, alios viles facere, quia alterius vituperatione se laudari putant, et qui suo merito placere non possunt, placere volunt in comparatione pejorum. *Ibidem.*

17. Cave ne hominum rumusculos acceperis, cave ne offensam Dei in populorum laudes commutes. *Hieron. ad Nepot.*

18. Si vere laudabilis esse cupis, laudes hominum

ne requiras, quia quamvis alicui sit facile laudem non curare, dum negatur, est tamen difficile ea, non delectari, quum offertur. *Hieron. ad Celan.*

19. Sæpè bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ quamvis quæsitæ non fuerit, tamen oblata delectat. *Greg. in moral.*

20. Pene omne, quod de Deo dicitur, eo ipso jam indignum est, quod potuit dici. Nam cuius laudi non sufficit obstupescens conscientia, quomodo sufficit loquens lingua? *Ibidem.*

21. Laus sua justos cruciat, iniquos exultat, sed justos dum cruciat, purgat iniquos: dum lætificat, reprobos monstrat. *Ibidem.*

22. Quum per accepta bona reprobi in sua laude se elevant, ipsis muneribus contra largitorem pugnant. Inde quippe contra dantem superbiunt, unde ei amplius humiles esse debuerunt. *Greg. lib. 1. moral.*

23. Qui inchoatæ virtutis ab humano honore laudem receperit, quasi plantati ligni ante tempus comedit. *Ibid.*

24. Quo arbor alius ad superiora surrexerit, eo vim ventorum vehementius sentit, quia quo plus quisque in bona opera attollitur, eo ampliori ab ore laudantium flatu fatigatur. *Greg. 22. moral.*

25. Valde perfectorum est sic ostenso opere auctoris gloriam quærere, ut de illata laude nesciat privata exultatione gaudere. *Ibidem.*

26. Quasi latrunculus est appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gaudentibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. *Ibidem.*

27. Nescit laudem, dum suppetit, fugere, qui ad hanc didicit, cum deesset, anbelare. *Greg. in past.*

28. Quum enim pro recto opere laus transitoria quæritur, æterna retributione res digna vili pretio vendatur. *Ibidem.*

29. Quisquis laudis concupiscentias calcare non sufficit, ædificationis fraudem perpetrat, si bona quæ egit occultat. *Ibidem.*

30. Laus in nobis referatur ad ipsum laudabilem universorum auctorem et largitorem: non fictæ, quem-

admodum ab hypocritis, non sola consuetudine, sicut à secularibus, sed nec necessitate quidem, ut iumenta ferendis oneribus applicantur, sed sicut decet sanctos synceritate fida, devotione sollicita, hilaritate grata, sed non dissoluta. *Bern. super cant.*

31. Extrema dementia est, nulla imminente necessitate rerum, et necessitate violenta, propriis laudibus velle decorari. Non est secundum Deum loqui: iudicium est potius istud insanix: hoc enim omnem nobis mercedem evacuat. *Chrysost. de laud. Paul. h. 5.*

32. Non laudatur de fide leprosus, quia in lege doctus: hic alienigena, scilicet centurio laudatur, quia legis ignarus: in modico enim sermone sapientia plus laudatur rusticus, quum in magno philosophus, et puer si aliquid dixerit sapienter, laudatur, ubi perfectior non auditur. *Chrys. sup. ill. Matth. 1. Audiens Jesus.*

33. Justum est, ut bene gerentibus laudis tribuatur assensus. Nam si equorum cursus hominum clamoribus incitatur: et insonantium manibus agitur, ut multis animalibus velocitas appetatur, quantum inde homines stimulari posse credimus, quos ad laudis aviditatem singulariter incendimus? *Cass. lib. 1. epist.*

34. Gloriosus quippe gratiosiora sunt præconia, quam tributa, quia stipendium et tyranno impenditur: laudis autem prædicatio non nisi bono principi debetur. *Cass. lib. 2. epist.*

35. Generosus est, parentes laudas: dives est, non credo fortunæ: validus est, ægritudine fatigabitur, pernix est, abibit in senectutem: formosus, est expecta parum, et non erit. *Apulejus de Deo Socrat.*

36. In homine quoque illud laudandum est, quod ipsius est: familiam formosam habet, et domum pulchram, multum serit, multum fænerat, nihil horum in ipso est, sed citra ipsum: lauda in illo, quod nec eripi potest, nec dari, quod proprium hominis est: quæris quid sit? Animus et ratio in animo perfecta. Quid autem est ratio hoc ab illo exigat, rem facillimam, secundum naturam suam vivere. *Sen. 44. ep.*

37. Quid stultius est, quam in homine aliena lau-

dare? Quid eo dementius, qui ea miratur, quæ ad alium transferri protinus possunt? Nemo gloriari, nisi de suo debet. *Ibidem.*

38. Lauda parce, vitupera parcius: similiter enim reprehensibilis nimia laudatio, et immoderata vituperatio. Illa siquidem adulatione, ista malignitate suspecta est, testimonium veritati, non amicitiae reddas. *Senec. in epist.*

39. Sit tibi tam triste laudari à turpibus, quam si lauderis ob turpia. Lætiior esto, quoties displices malis, et malorum de te æstimationes pravas, veram tibi laudationem adscribe. Sectator epularum non de bene vivente, sed de bene pascente laudabilem profert sententiam. *Senec. de 4. virt. in quadam epist.*

40. Nolo, nolo laudes me: ó magnum virum! contempsit omnia, et damnatis humanæ vitæ furoribus, fugit nihil damni, nisi me. Non est, quod proficiendi causa venire ad me velis: erras, qui hinc aliquid auxilii speras: non medicus, sed æger hic habitat. Malo illa, quum discesseris dicas: Ego istum bonum hominem putabam, et eruditum: erexeram aures, destitutus sum, nihil vidi, nihil audivi, quod concupiscerem, ad quod reverterer, quum secesseris: non est agendum hoc, ut de te homines loquantur, sed ut ipse tecum loquaris. Quid autem loqueris, quod homines de aliis libentissime faciunt, de te apud te male æstima. *Senec. ibid. 69. epist.*

41. Bonum est laudari, sed præstantius est esse laudabilem: neminem cito laudaveris: neminem cito accusaveris. Vitium est, omnia credere: vitium est, nihil credere. *Senec. lib. de moribus.*

42. Parva laude dignus est, qui tantum miseris antefertur. Lascivia et laus nunquam habent concordiam. Quam magnum est nolle laudari, et esse laudabilem! *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Adulatio et Constentia, núm. 28. in tit. Convitium, núm. 1, 2. in tit. Deus, núm. 18. in tit. E'emosyna, núm. 19. in tit. Eloquentia, núm. 1. in tit. Fama, Favor, Gloria bona, núm. 4. in tit. Ho-

nor, núm. 23. in tit. Jejunium, núm. 1, 12. in tit. Prælatio, núm. 1, 17. in tit. Sanctitas, núm. 19, 21, 23. in tit. Superbia, núm. 5. in tit. Virtus, núm. 26.

LEX.

1. Quod imperatorum lex minando imperat, hoc fides credendo impetrat. *August. in lib. de spiritu et litera.*

2. Lex Dei charitas est: lex data est, ut gratia quæreretur: gratia data est, ut lex impleretur. *Ibidem.*

3. Factæ sunt leges, ut earum metu humana coerceretur audacia: tutaque sit inter improbos innocentia: et in ip-sis improbis, formidato supplicio, refrænaretur nocendi facultas. *Isid. lib. 2. Etymol.*

4. Erit lex honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco temporeque conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate adscripta. *Isid. ibid.*

5. Octo generâ penarum in legibus contineri Tullius scripsit, id est, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, servitutum et mortem. *Ibidem.*

6. In his rebus, in quibus nihil statuit certum scriptura divina, nobis populi Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt. *Leo papa.*

7. Meditatio legis est, non solum in legendis scripturis, sed etiam in his, quæ scripta sunt, faciendis. *Ibidem.*

8. Quid enim potest esse melius, quam homines in bonis legibus confidere, et casus reliquos non timere? Jura publica certissima sunt humanæ vitæ solatia, infirmorum auxilia, et potentium fræna: unde et securitas venit, et conscientia proficit. *Cassiod.*

9. Quam porro subtiliter Anacharsis leges araneorum telis comparavit! nam ait illa infirmiora animalia retinere, valentiora transmittere: ita his humiles et pauperes constringi, divites et præpotentes non alligari. *Val. Max. de memorabil. di.*

Vide etiam in tit. Consuetudo, núm. 4, 12, 13. in tit. Dilectio, núm. 6. in tit. Gratia, núm. 8. in tit. Perfectio, núm. 9. in tit. Sacerdos, núm. 13.

LIBERALITAS.

1. Liberalitas est motus quidam animi faciens et approbans liberas largitiones sine spe retributionis. *Aug. de diffinit.*

2. Dandum est, quod nec tibi, nec alteri noceat: et quum negaveris, quod petit, judicanda est justitia, ut non eum inanem dimittas: et aliquando melius aliquid dabis, etiam quum injuste petentem correxeris. *Aug. de serm. Dom. in monte.*

3. Modus liberalitatis tenendas est, ut quod bene facis, quotidie facere possis. *Ambros.*

4. Uberior est munus ex parvo, quam thesaurus ex maximo: quia non tantum, quod detur, sed quantum desiderat perpenditur. Nemo plus tribuit quam qui sibi nihil reliquit. *Ambr. lib. 1. de vid.*

5. Non solum quæritur quantum, sed de quanto et quo animo detur. *Ambr. super epis. ad Cor.*

6. Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari: nisi forte, ut Elisæus boves suos occidit, et pauperes pavit de eo, quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica. *Ambros. lib. 1. de offic.*

7. Non illa perfecta est liberalitas, si jaclantiæ causa magis, quam misericordiæ largiaris: affectus tuus nomen imponit operi tuo. *Ibidem.*

8. Non probatur liberalitas, vel largitas, si quod aliter largitur, alteri quis extorqueat, si injuste quarat, et injuste dispensandum putat. *Ibidem.*

9. Perfecta est liberalitas, ubi silentio quis regit opus suum: et necessitatibus singulorum occulte subvenit, quem laudat os pauperis, et non labia sua. Denique perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur: ut principium operis circa domesticos fidei. *Ibidem.*

10. Est alia probanda liberalitas, ut proximos se-

minis tui non despicias: si egere cognoscas. Melius enim est, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deprecere, ac tunc alicui postulare subsidium necessitati: non tamen ut illi ditiores fieri velint, quod tu possis conferre inopibus. *Ibidem.*

11. Est duplex liberalitas: una quæ subsidio rei adjuvat, id est, usu pecuniæ: altera, quæ operum collatione impenditur: quæ multo frequenter splendidior est, multoque preclarior. *Ibidem.*

12. Quicquid ex affectu puro ac sincero promittitur, hoc est, decorum, non superfluas ædificationes aggredi, non pretermittere necessarias. *Ibidem.*

13. Considera Christi substantiam, ne imprudenter effundas, id est, ne immoderato judicio rem pauperum tribuas non pauperibus, ne secundum dictum prudentissimi viri, liberalitate liberalitas pereat. *Hier. ad Pauli.*

14. Liberalitas non cumulatione patrimonii, sed largitalis diffinitur affectu. *Hier. lib. de vid.*

15. In ipsa autem liberalitate modus adhibendus est rerum et personarum: rerum, ut non omnia uni, sed singulis quædam præsentur, ut pluribus prodesse possimus: juxta illud propheta: *Dispersit, dedit pauperibus.* Personarum, ut primum justis, deinde peccatoribus: quibus tamen prohibemur dare, non quia homines, sed quia peccatores. *Greg. in epist.*

16. Quibusdam inopiam ferre non valentibus, tolerabilius est minus tribuere, quam post largitalem suam ex inopiæ angustia murmurare. *Greg. 19. moral.*

17. Nunquam es vacua manus à munere, si arca cordis repleta est bona voluntate. *Ibidem.*

18. Nulli parvus est sensus, cui magnus est animus: nec de rei familiaris mensura pendet modus pietatis. Majora quidem sunt impendia divitum, et minorum mediocrium: sed nec discrepat fructus operum ubi non deest affectus operantium. *Leo papa in appar. Domin.*

19. Si non est omnium equalis facultas, debet esse

par pietas: quoniam fidelium largitas, non de muneris pensatur pondere, sed de benevolentiae quantitate. *Ibidem.*

20. Semper illi, quod largiatur, occurrit, cui benevelle non deficit. *Ibidem.*

21. Honestius est rem negare, quam longos terminos dare: quia minus decipitur, cui celeriter negatur. Unde ad multam instantiam res exhibita, chara videtur emptione. Gratius est donum, quod venit ante precēs. *Cassiod. in epist.*

22. Parva, ex voto offerentis magna fiunt munera, consumunt autem auctorem suum, quæ consisterint extorta. *Valer. in serm.*

23. Tunc solum pretiosa est pecunia, quando usu largiendi desinit possideri. *Boët. de consolat.*

24. Liberare est serere beneficium, ut metere possis fructum. *Cic. ant. ir. in exi.*

25. Liberalitate qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant: et quod aptissimum est ad quiete vivendum, charitatem. *Cic. 2. de fin.*

26. Quemadmodum sæva et acerbissima crudelitas est, quæ trahit pœnam: et misericordiæ genus est cito occidere: ita major est muneris gratia, quæ minus diu pependit. Sicut in telis eadem ferri vis est: sed in infinitum interest utrum excusso lacerto torqueantur, an remissa manu effluant: ita illud quod datur, scilicet interest quomodo detur, an tarde, an cito. *Sen. lib. 2. de off. seu ben.*

27. Omnis benignitas properat: et proprium est, libenter facientis, cito facere: si de die in diem trahens profuit, non ex animo fecit. Itaque duas res maximas perdidit, et tempus, et argumentum amicæ voluntatis. *Ibidem.*

28. Nonnunquam magis nos obligat, qui dedit parva magnifice, qui regum opes æquavit animo, qui exiguum tribuit, sed qui libenter: qui paupertatis suæ oblitus est, dum in ea respicit, qui occasionem qua prodesset, quæsivit. *Ibidem.*

29. Multoque gratius venit quod facili, quam quod ex plena manu venit, seu datur: exiguum est quod in me contulit, sed amplius non potuit. At hoc, quod dedit, magnum est: sed dubitavit, sed distulit, sed cum daret, gemuit, sed superbe dedit, sed quum contulit, ambitioni dedit, non mihi. *Seneca.*

30. Non refert quid sit, quod datur, nisi a volente volenti. A quibus ergo accipimus? ut breviter tibi respondeam, ab his, quibus dedisse videamus. *Ibidem.*

31. Unum bene positum beneficium, multorum amissorum solatur damna. Beneficium est benevola actio, tribuens gaudium, capiensque tribuendo, et etiam id, quod facit, prona et sponte sua parata. *Ibidem.*

32. Cave ne beneficium majus sit facultate tua: inest enim tali liberalitati cupiditas rapiendi, ut ad largiendum suppetant copia. Sequuntur enim talem largitionem cupinæ, quom eo enim dando egere cœperint, alienis bonis manus inferre coguntur: et majora odia eorum assequuntur, quibus ademerunt, quam favores eorum, quibus dederunt. *Ibidem.*

33. Officium liberalitatis est omni petenti dare, deos imitari. Si deos imitaris, da etiam ingratum. Nam et sceleratis Sol oritur, et piratis maria patent, dii rerum omnium optimi auctores, ignorantibus beneficia dare incipiunt, ingratis perseverant: non cessant dii beneficia congerere, unam sortiti intentionem; scilicet prodesse, imitemur illos: demus, etiamsi multa in irritum data sunt. Ingratus est: non fecit mihi injuriam, sed sibi, nam gratum beneficium semper delectat, ingratum semel. *Ibidem.*

34. Duo sunt genera largitorum: quorum alteri dispensatores, alteri liberales: dispensatores, qui epulis et muneribus histrionum et lenonum pecunias profundunt, quorum memoriam, aut brevem, aut nullam sunt relicturi: liberales, qui suis facultatibus, aut captos aut prædonibus redimunt, aut amicos in filiarum

collocatione juvant: vel in alia re quærenda vel agenda. *Ibidem.*

35. Refert cujus animi sit, qui præstat, non cujus status: non est gloriosum, quod ab invito et tergiversante fit: nihil facit virtus, quod necesse est. *Senec. 85. epistol.*

36. Multi sunt qui non donant, sed projiciunt. Non voco liberalem, pecuniæ suæ iratum. *Ibidem.*

37. Ab Antigono Cynicus petit talentum. Respondit plus esse, quam Cynicum deceret petere: repulsus petit denarium: respondit minus esse, quam quod regem deceret dare. Turpissima hujusmodi cavillatio est. Invenit enim quomodo neutrum daret. In talento Cynicum, in denario regem respexit, cum posset et denarium Cynico dare, et talentum tanquam rex. *Senec. lib. de benefic.*

38. Melius Alexander, cum daret civitatem cuidam dicenti, non convenire civitatem humili fortunæ suæ, respondit: Non quæro quid oporteat te accipere, sed quid deceat me dare. Socrati cum multa pro suis facultatibus offerret, Æschines pauper auditor, ait: Nihil, inquit, dignum te, quod tibi dare possem invenio: et ob hoc solum me pauperem esse sentio, tamen dono tibi unum quod habeo, meipsum: hoc autem munus rogo qualecumque est, boni cogites: alii enim cum multum tibi darent plus sibi reliquerunt: sed ego mihi de me nihil reliqui. Nemo enim plus tribuit, quam qui sibi nihil reliquit: cui Socrates: Tu, inquit, magnum munus mihi das, ubi te tam parvo æstimas. Habebo itaque curæ, ut te meliorem tibi reddam, quam accepi. Ecce quomodo æstimes, hoc munere vicit omnem juvenum opulentorum munificentiam. Vides quomodo animus invenit liberalitatis materiam etiam inter angustias, neque existimes illum vilem sibi fuisse quia pretium se sibi fecit ingeniosus adolescens. Non ergo quanta quæque sint, sed à quali, prospiciendum est. *Ibidem.*

39. Melius puto apud pauperes bonos, quam apud

divites magnos collocari beneficium: et reddit rationem. Nam qui locupletes sunt, beneficium obligari nolunt: imo quum acceperint beneficium, quamvis magnum, aut beneficium se prius dedisse arbitrantur, aut aliquid à se expectari suspiciantur: cum vero inopi bono benefacis, spectatum se, non suam fortunam putat: et ideo si in contentione res venerit, sequere Themistoclem, qui ait de nuptiis filiæ suæ consultus, malo virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam quæ viro. *Sen. de ben.*

40. Sicut non est liberalis, qui sibi donat: nec clemens qui sibi ignoscit: nec misericors, qui malis suis tangitur, sed qui aliis: ita etiam nemo sibi ipsi beneficium dat, sed naturæ suæ parat, quæ monet ad refutanda nociva, et appetenda proficua. *Sen. lib. 5. de benefic.*

41. Bis est gratum, si quod opus est, ultro offeras. Benignus etiam causam dandi cogitat, cui semper dederis, ubi negas, rapere imperas. *Senec. in prov.*

42. Duplex fit bonitas, quum accedit celeritas: minus decipitur, cui negatur celerius. Ages sic alienum negotium, ut tuum non obliviscaris: amico ita prodesto, ut tibi non noceas. *Senec. ibid.*

Vide etiam in tit. Beneficia et Hospitalitas et Parentes, núm. 2. in tit. Paupertas, núm. 16. in tit. Petitio, núm. 11, 12. in tit. Promissio, núm. 2, 4, 5. in tit. Servitium, 12.

LIBERTAS.

1. Quem delectat vera libertas, ab amore rerum mutabilium liber esse appetat: et quem regnare delectat uni omnium regnatori Deo subjectus sit, plus eum diligendo, quam semetipsum. *August. de vera religione.*

2. Quidam religionem nostram, quam manifestissimis et paucissimis celebrationum sacramentis de misericordia volunt esse liberam, servilibus premunt oneribus. *Aug. lib. ad inquisit. Janu.*

3. Prima libertas voluntatis erat, posse non peccare, novissima erit multo magis non posse peccare. Prima immortalitas erat, posse non mori: novissima erit multo magis non posse mori. Prima erat perseverantia potestas, bonum posse non deserere: novissima erit perseverantia felicitas, bonum non posse deserere. *August. de correctione et gratia.*

4. Ille vero in quavis conditione servitii liber est, qui amore non captus: avaritiæ vineulis non tenetur: metu criminis non alligatur: qui securus expectat præsentia: quem non terrent futura. *Ambr. de Joseph.*

5. Cum nobis triplex posita sit libertas, à peccato, à miseria, à necessitate: hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione natura. In prima restauramur à gratia, media per diligentiam gratia comitata, exercetur in via: tertia autem reservatur nobis in patria: dicatur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prima habet multum honoris: secunda plurimum virtutis: novissima cumulum jucunditatis. *Bern. de libero arbitr.*

6. Liber est æstimandus, qui nulli torpitudini servit.

7. Quid es libertas? potestas vivendi ut velis. Quis igitur vivit, ut vult, nisi qui recta sequitur? Soli hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. Quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos? An ille mihi liber est, cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit, jubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audeat? poscit, dandum est: vocat, veniendum: ejicit, abeundum: minatur, extimescendum: ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum, etiamsi in amplissima familia natus sit, appellandum puto. *Cic. in paradoxo penultim.*

8. Ita præclara est recuperatio libertatis, ut ne mors quidem sit fugienda repetenda libertate. *Cicer. in Philip.*

9. Quid? eques, aut libertinus, aut servus nomina

ex ambitione, aut injuria nata suspicere in cœlum ex angulo licet. *Senec. 51. epist.*

10. Quid sit libertas quæris? nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus, fortunam in æquum reducere. *Senec. 47. epist.*

11. Liber non est, quem superbus inflamat animus. *Senec. in prov.*

Vide etiam in tit. Nobilitas et Sacramentum, núm. 1, 22. in tit. Servitus et Violentia.

LIBIDO.

1. Sine libidine non est parentum concubitus: ob hoc ex eorum carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus. *August. de fide ad Petrum.*

2. Libido velut festuca est, cito accenditur, prope consumitur. *Ambros. in quadam epist.*

3. Sævus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum: nocte fervet, die anhelat. *Ambr. in lib. de Abel et Cain.*

4. Non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. *Hieron. in quadam epist.*

5. Libidinosa mens ardentius honesta persequitur: et quod cum licet, dulcius suspicatur. *Hier. ibid.*

6. In serico et in pannis eadem dominatur libido, nec regum purpuram timet, nec mendicantium spernit squalorem: multoque melius est stomachum dolere, quam mentem: imperare corpori, quam servire: gressu vacillare, quam pudicitia. Nisi statim nobis penitentia subsidia blandiantur: quæ sunt infelicitum remedia: cavendum est vulnus, quod dolore curatur. *Hier. in epistol. ad Salvi.*

7. Venter mero æstuans, cito spumat in libidinem. Venter enim et genitalia vicina sunt et unum alteri subministrat. Ex vicinitate enim membrorum sequitur confederatio vitiorum. *Hier. in epist.*

8. Nulla facilius ad maleficium causa quam turpis

amor, et intemperans libido commovere potuit. *Tull. 2. de Rhet.*

9. Libidinis initium continebis, si exitum cogitaris. *Senec. lib. 2. de moribus.*

Vide etiam in tit. Virginitas, núm. 17. in tit. Voluptas, núm. 15.

LOQUACITAS.

1. Absit ut multiloquium deputem quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum multitudine, aut prolixitate dicantur. *August.*

2. Periculum est dicere non solum falsa, sed etiam vera: si is ea, non quibus oportet, insinuet: quod vitium quadripartitum est: vel adulationis, vel avaritiæ, vel jaclantiæ, vel loquacitatis incautiæ. *Ambr. super Beati immaculati.*

3. Quam plures vidi loquendo in peccatum incidisse: vix quempiam tacendo: ideoque lacere nosse, quam loqui, difficilius est. *Ambr. 1. de offic.*

4. Alliga sermonem tuum ne luxuriet, ne lasciviat, et multiloquio peccata sibi colliget. Si restrictior et ripis coerceatur, cito lutum colligit amnis et undas. Jugum sit verbis tuis et statera atque mensura, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus atque in verbis modus. *Ambr. ibid.*

5. Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter: postremo, si ubi non oportet, loquaris. *Ambr. lib. 1. de virginitate.*

6. Verba volvere, et apud imperitum vulgus, admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Nichil tam facile, quam vilem plebem et indoctam volubilitate linguæ decipere, quæ quicquid non intelligit, plus miratur. *Hieron. ad Nepotia.*

7. *Tempus tacendi et tempus loquendi:* discreta vicissitudine pensanda sunt tempora, ne aut quum restringi lingua debet, per verba se inutiliter solvat:

aut quum loqui utiliter potest, semelipsam pigre restringat. *Greg. lib. 7. moral.*

8. *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.* Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxu eloquii relaxare, quo contra in bona etiam parte dicitur aqua profunda, verba ex ore viri. Qui ergo dimittit aquam caput est jurgiorum: quia qui linguam non refrænat, concordiam dissipat. *Gregor. in pastoral.*

9. Quot supervacuis verbis mens á silentii sui censura dissipatur, quasi tot ruinis extra seducitur: unde redire interius ad sui cognitionem non sufficit: quia per multiloquium exterius sparsa vim intimæ considerationis amittit. *Greg. lib. 5. moral.*

10. Pravi sicut in sensu leves sunt, ita in locutione precipites: quia quod levis conscientia concipit, levior proliquis lingua prodit. *Ibi. lib. 5.*

11. Lingua sub magni moderaminis libratione frændanda est, non insolubiliter obliganda, ne aut laxata in vitium defluat: aut restricta etiam ab utilitate torpescat. *Ibid. lib. 8.*

12. Si illatas molestias lingua tranquille diceret, á constientia dolor emanaret. Vulnere enim clausa plus cruciant: quia quum putredo, quæ intus fervet, ejiçitur, ad salutem dolor aperitur. *Ibid. lib. 7.*

13. Quum intentionem bonam locutio cauta non sequitur, ipsa pietatis propositio in transgressionis vitium vertitur. *Ibid. lib. 5.*

14. Isti sunt casus culpæ crescentis: ut lingua, quum non restringitur, nequaquam ubi ceciderit jaceat, sed semper ad deteriora descendat. *Ibidem lib. 16.*

15. Tenerum membrum est lingua, et tamen vix teneri potest: substantia quidem infirmum atque exiguum, sed usu magnum et validum: in venis tenuis est et lata: ideo aptissimum evacuandis sordibus instrumentum. *Bernar. in quadam epist.*

16. Levis quidem sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat: leviter transit, sed graviter urit:

leviter penetrat animum, sed non leviter exit: leviter profert, sed non leviter revocatur: facile volat, ideo charitatem facile violat. *Bern. ibid.*

17. Vanus sermo cito polluit mentem, et facile agitur, quod libenter auditur. *Isid. in lib. soliloq.*

18. Sapiens non solum quod loquitur sed etiam opportunitatem loci, et temporis, et personæ, quum loquitur, diligenter inquirat. *Glo. super illud Proverb. 15.*

19. Vanus sermo, vanæ conscientia est iudex, mores hominis lingua pandit, qualis sermo ostenditur, talis animus approbatur: quoniam ex abundantia cordis os loquitur. Sermo vanus non erit absque iudicio, quia ab omni statu rectitudinis deviant, qui per vana verba dilabuntur. *Hug. lib. 2. de anim.*

20. Lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiendo, ligat et ligari non potest: labilis est, et teneri non potest, sed labitur et fallitur. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias, uno ictu multos percutit, et interficit: blanda est et subdola: lata et parata ad exhaurienda bona, et miscenda mala. Qui custodit linguam suam, custodit animam, quoniam mors et vita in potestate linguæ est. *Ibidem.*

21. Est tempus quando nihil, est tempus quando aliquid, nullum autem est tempus in quo dicenda sunt omnia. *Hugo de disc. monach.*

22. Quis est hominum sic cautus, ut si inter æmulos loquatur, nullum ejus verbum incurrat aliquam quæstionem? Difficilis res est, linguam in lubrico faucium constitutam veritatis rigide tenere mensuranti: cui si incaute fræna laxentur, frequenter contra se loquitur. Facilius enim culpa tacendo refugitur, quam loquendo. Salomon dicit: Ori tuo facito oslium et seram, et verbis jugum atque stateram. *Cass. super illud psalm. Dixi custodiam.*

23. Quibus citra honestatis nitorem lingua pollui-

tur infrænis, his conscientia quoque sordidissima est: quia facilius contingit, ut quispiam seria loquens vivat obscæne, id est immunde, quam valeat ostendi, qui pariter existat improbus dictis, et probus moribus. *Sid. lib. 5. epist.*

24. Sapiens sermones suos præcogitat, et examinat prius in pectore, quum proferat in ore. Qui enim sunt leves et faciles ac importuni locutores, nullo rerum pondere innixi, verbis tumidis et laxantibus eam orationem bene existimant. Est in ore nasci, non in pectore, linguam. *Aul. Gel. lib. 8.*

25. Nunquam lacet, quem morbus loquendi tenet. Hesiodus ait, linguam non vulgandam esse, sed recondendam et thesaurum ejus esse gratiam optimam, si modesta, pauca, et modulata sit. *Ibidem.*

26. Quidam à Pythagora quærens quomodo inter sapientes discipulos computari possit, respondit: Serua silentium, donec necessarium sit tibi loqui. Si nihil dixeris, nisi quod bene scieris, si gesseris optima et locutus fueris pauca. Nam silentium signum est sapientia, et loquacitas signum est stultitia. Ne festines respondere, donec fuerit finis interrogationis, nec quæstionem in conventu solvere tentes, cum sapientiorum te interesse prospexeris. *Pith. in suis præceptis.*

27. Non multis verbis opus est, sed efficacibus, seminis modo spargenda sunt. *Sen. 58. ep.*

28. Quemadmodum sapienti viro incessus modestior convenit: ita oratio præssa, non audax. Summa ergo summarum hæc erit tibi, tardiloquentem te esse jubeo. *Sen. 40. ep.*

29. Sermonem maximo temperamento cum loquente dispensa: in quo palitur aut extraneus verecundiam, aut familiaris calumniam, aut imperitus injuriam, aut crudelis invidiam, aut peritus infamiam. *Senec. in quadam epist.*

30. Imago animi, sermo est: qualis vir, talis oratio. Magnum est vocis et silentii temperamentum. Gar-

rulo non respondere convitium est. *Sen. in Prov.*

31. Ut licentiosa mancipia animi imperio redige linguam, cupiditatemque opprime, si non potes, paululum remitte. Sæpe ea, quæ sanari ratione non poterant, sanata sunt tempore. *Sen. lib. de moribus.*

32. Conscientiam amici nullus invenit linguæ præceps: canibus imbecillibus mos est, quanto plus defecerunt virium, tanto magis lalratibus indulgere. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Advocati núm. 7. in tit. Consilium, núm. 27. in tit. Conversatio, núm. 23, 24, 26, 27, 36. in tit. Convitium, núm. 5, 6, 7, 8. in tit. Cor, núm. 17. in tit. Discordia núm. 12. in tit. Obedientia, núm. 15. in tit. Oliositas, núm. 4. in tit. Odium, núm. 19. in tit. Pax, núm. 21. in tit. Taciturnitas et Verecundia, núm. 1.

LUXURIA.

1. Luxuria non est vitium corporum pulchrorum vel suavium, sed animæ perversæ amantissimæ corporeas voluptates, neglecta temperantia: qua aplamur spiritibus. *August. 12. de civ. Dei.*

2. Cur te non in voluptate tua modo aquæ luxuria dilatas, cum te quis sequatur, ignoras? Acceptum tempus immisceri desideris perdere non debes, quia quam citius pertranseat nescis. Si enim Deus hominem in voluptate carnis nollet, in ipso humani generis exordio masculum et feminam non fecisset. *Aug. de confic. vitiorum.*

3. Quanti et quales Episcopi, et clerici post confessionem et victoriarum calcata certamina, post magnalia et signa mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, quum volunt in navi fragili navigare! Quantos leones domuit una infirmitas delicata, id est luxuria, quæ cum sit vilis et misera, de magnis efficit prædam! *August. de singularitate clericorum.*

4. Commistio sororum et fratrum quanto sit antiquior compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior religione prohibente. *Aug. 15. de civitate Dei.*

5. Sicut iniquum est aviditate possidendi transgredi limitem agrorum: ita et iniquum est libidine concumbendi subvertere limitem morum. *Ibidem.*

6. Luxuria est inimica Deo, inimica virtutibus, perdit omnem substantiam, et ad præsens voluptatem delinens, futuram non sinit cogitare pauperlatem. *Aug. de doct. christ.*

7. Ex voluntate perversa facta est libido: et dum servitur libidini, facta est consuetudo: et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. *Aug. lid. de confess.*

8. Qui luxuriatur, vivens mortuus est: et ferreas mentes libido domat, quæ majorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putant omne, quod nesciunt. *Hier. matri et filia.*

9. O quam acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio! *Hier. in epist.*

10. Libido enim transacta semper sui relinquit penitentiam, et nunquam satiatur, et extincta reaccenditur, usu crescit et deficit, nec rationi paret, quæ impetu ducitur. *Ibidem.*

11. O ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintilla prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna! *Ibidem.*

12. Quælibet alia fient bona opera, si luxuriæ seelus non abluatur, immensitate hujus criminis obruuntur. *Greg. 12. moral.*

13. Malum luxuriæ aut cogitatione perpetratur, aut opere: callidus enim adversarius noster, quum ab effectu operis expellitur, secreta cogitatione pollueri nititur. *Ibidem.*

14. Ex quo luxuria semel mentem alicujus occupaverit, vix eum bona cogitare permittit. Sunt enim

desideria viscosa, quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatio damnatio. *Gregor. in moral.*

15. Alia est carnis luxuria, qua castitate corrumpimur: alia cordis, qua de castitate gloriamur. *Bern. in serm.*

16. Luxuriæ currus quadriga volvitur vitiorum, in gluvie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie vesilium, otii soporisque resolutione: trahitur equis æque duobus, prosperitate vitæ, et rerum abundantia: et qui his præsent duo, ignaviæ torpor, et infida securitas. *Bern. super cant.*

17. Vitium libidinis facile ex vacantia et otio nascitur, nam definitio amoris hæc est, Animæ vacantis passio. *Ovidius: Otia si tollas periere cupidinis arcus. Chrys. super Matth.*

18. Tamdiu spiritu fornicationis animum necesse est impugnari, donec se bellum gerere supra vires agnoscat. Nec labore, vel studio proprio victoriam oblinere se posse, nisi Dei fuerit auxilio ac protectione suffulta. *Cass. ex collat. abbatis Moysi.*

19. Brevis est voluptas fornicationis, sed perpetua pœna fornicationis. *Beda de templo Sal.*

20. Luxuria, est immoderata carnis petulantia, dulce venenum, importuna lues, perniosa potio, quæ humanum corpus debilitat, et virilis animi robur enervat. *Hugo.*

21. Petulantia est ex carnalium cogitationum conceptione, totius corporis pecudialis hebetudo. *Ibidem.*

22. Venus, est illecebrosa voluptas, adulterina jucunditas, quæ mel habet in ore, fel in corde, aculeum in dorso. *Ibidem.*

23. O extrema libidinis turpitudine, quæ non solum mentem effœminat, sed corpus enervat, non solum ma-

culat animam, sed fœdat personam! Omne namque peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus suum est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Semper illam præcedunt ardor et petulantia, semper comitatur fœtor et immunditiæ, semper sequitur dolor et pœnitentia. *Ibidem.*

24. Quis ejus multiplices species enumerare valeat? hæc enim Pentapolim cum adjacenti regione subvertit: Sichem cum populo interemit: hæc filios Judæ percussit: Judæum et Madianitidem pugione transfodit: Iribum Benjamin pro uxore Levite delevit: filios Heli sacerdotis in bello postravit: hæc Uriam occidit, Amon interfecit, plurimos lapidavit: hæc Ruben maledixit, Samsonem seduxit, Salomonem pervertit. Verum est ergo quod legitur: *Propter speciem mulieris multi perierunt. Ibidem.*

25. Blandum malum luxuria, quod accusare aliquando facilius est, quam vitare. Quæ invictum Anibalem armis illecebris suis complexa, vincendum Romano militi tradidit: illa ducem vigilantissimum, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantia: veneris usu lascivior, ad somnum et delicias evocavit. Quid his ergo vilis fœdus? quid etiam damnosius? quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt: sopita gloria in infamiam convertitur: animi et corporis vires expugnantur: adeo ut nescias an ab hostibus, an ab illis capi perniciosius habendum sit. *Val. Max. lib. 9.*

26. Venus dolosa et ejus corrigia est varia, et quod ex insidiis agit incontinens concupiscentiæ. *Arist. l. 7. ethic.*

27. Esus carniæ et potus vini ventrisque saturitas, seminarium libidinis est. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Abstinencia, núm. 8. in tit. Avaritia, núm. 29. in tit. Caro, num. 20. in tit. Castitas, núm. 18, 21, 22, 23. in tit. Concupiscentia, núm. 1. in tit. Ebrietas, núm. 10, 16. in tit. Gula, núm. 9, 17. in tit. Superbia, núm. 14, 18, 19, 36. in tit.

Vitium, núm. 2, 6. in tit. Voluntas, núm. 10.

MAGISTER.

1. Periculosum est magisterium: discipulatus securus est: ideo Psal. *Audilui meo dabis gaudium et letitiam*. Securior est enim verbi auditor, quam verbi prolator. *Aug. in quodam serm.*
2. Magisterium vocant, ut quasi laudatus mysterium cordis sui, simpliciter aperiat, eosque velit habere discipulos. *Hier. sup. ill. Matth. 22. Magister scimus quia verax est.*
3. Dionysius magistrum sibi in grammatica eligit Donatum, in rhetorica Victorinum, in theologia Gregorium Nazianzenum: similiter Theophrastes sibi eligit Aristotelem, Aristoteles Platonem, Plato Socratem, regina Austri sapientissimum Salomonem. *Isid. in Sinón.*
4. Magistrum vocat, cujus non vult esse discipulus: de mandato magno interrogat, qui nec minimum servat. *Chrys. sup. Matth. 22. Magister quod est mandatum magnum in lege.*
5. Optimus lector est, qui doctorum intelligentiam expectet ex dictis potius, quam imponat, et retulerit magis quam attulerit: neque cogitat illud videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum. *Hier. lib. 1. de Trinit.*
6. Principium disciplinae humilitas est: cujus cum multa sint documenta, hæc tria præcipue ad lectorem vel auditorem pertinent. Primum, ut nullam scientiam, nullam scripturam vilem teneat. Secundum, ut à nemine discere erubescat. Tertium, ut quum scientiam adeptus fuerit, cæteros non contempnat. *Hugo in didascal. lib. 1.*
7. Nulla res discipulo est ita pernitiiosa, sicut vita magistri contumeliosa. *Boetius de discip. scholarium.*
Vide etiam in tit. Doctrina.

MAGNANIMITAS.

1. Viros fortes, magnanimos esse, eosdem volumus veritatis amicos, minimeque fallaces *Tull. l. 4. de offic.*
2. Ad magnanimum pertinet, neque perturbationi animi, neque hominis, neque fortunæ succumbere. *Id.*
3. Ad magnanimum pertinet, ea quæ videntur acerba, ita ferre, ut nihil à statu naturæ discedat, nihil à dignitate sapientis. *Ibidem.*
4. Magnanimitas est virtus spontanea, difficultium aggressio, et rationabilis. *Ibidem.*
5. Si magnanimus fueris, nunquam judicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices: non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit, et quum illum in potestate tua videris, vindictam putabis, non vindicare potuisse. Scito enim magnum et honestum vindictæ esse genus, agnoscere. *Sen. de 4. virtutibus.*
6. Magnanimitas autem si ultra modum suum extollat, faciet virum minacem, inflatum, turbidum, inquietum, et in quascumque excellentias dictorum atque factorum neglecta honestate festinum, qui momentis omnibus supercilia subrigens, ut besliarius inquietat, excitat, alium ferit, alium fugat: sed talis aut miserum appetit finem, aut ærumnosam sui memoriam derelinquit. Mensura ergo magnanimitatis est, nec timidum esse hominem nec audacem. *Ibidem.*
7. Eris magnanimus, si pericula nec appetas, ut temerarius, nec formides, ut timidus. Nam timidum non facit animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia. *Id.*
8. Magnitudo animi, si à communitate humana sit remota, feritas quædam erit et immanitas. *Ibidem.*
9. Pauper fiam, inter plures ero: exul fiam me natum putabo, quo mittar. Non sum uni angulo natus, patria mea totius hujus mundi est. *Sen. in epist.*
10. Magnanimo nihil est magnum. Stilbon Philosophus capta patria, amisso rerum, etc. ecce vir fortis et strenuus ipsam sui hostis victoriam vicit: Facilius est totam gentem, quam magnanimum vincere. *Sen. 25. epist.*

11. Magnanimi est, magna contemnere, et mediocria malle, quam nimia. *Sen. 57. epist.*

12. Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam majora transeuntem, quidquid timeamus optamusque ridentem, cælestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare: quemadmodum radii solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur: sic animus magnus ac sacer, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ. *Sen. 40. epist.*

13. Animus intueendus, ut pariter fugiendorum ac petendorum, non ex opinione sed ex natura pretia rebus imponens, asperis blandisque pariter invictus, neuter se fortunæ submitens, super omnia, quæ contingunt, acciduntque eminens, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangit, quem non attollant fortuita, nec deprimant: talis animus virtus est, hæc est ejus facies. *Sen. 66. epist.*

14. Magnanimo de rebus magnis judicandum est: fortunatior est, qui omnia rerum diversarum onera rigida cervice sustollit, eo qui supra fortunam extat. Non mirum est in tranquillitate non concuti: illud mirare, ibi extolli aliquem, ubi omnes deprimuntur; ibi stare, ubi omnes jacent. *Ibidem.*

15. Magnanimus stat rectus sub quolibet pondere, nulla illum res minorem facit, nihil illi eorum, quæ ferenda sunt, displicet: quidquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non quæritur, vires suas novit, vincit virtute fortunam. *Sen. 72. epist.*

16. Nihil magnum est in rebus humanis, nisi magno animo despicias. *Sen. de mor.*

17. Proprium enim est magnanimitatis veræ non sentire se percussum. In magnis enim fera et magna ad latratum canum lenta respicit. *Ibidem.*

18. Magnanimitas virtus est, per quam utraque fortuna virtusque et ignominia feruntur. *Aristot. de vir. et vita divis.*

19. Magnanimitas est pulchrè ferre et felicitatem et infelicitatem, honorem et ignominiam, et non ad-

mirari nec delicias, nec clientelas, nec potestatem, nec victorias gymnicas, habere autem animi altitudinem et magnitudinem. Est autem magnanimus nec vitam magnificiens, nec vitæ æmans, simplex porro moribus et generosus injuria, potens lacessiri, et non vindex: sequitur autem magnanimitatem simplicitas et veritas. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Contemptus, núm. 15. in tit. Divitiarum, núm. 2, 17. in tit. Fortitudo, núm. 5, 7, 30. in tit. Labor, núm. 13. in tit. Nobilitas, núm. 19. in tit. Virtus, núm. 30, 83.

MALITIA.

1. Melius judicavit Deus de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere. *August. in Enchirid.*

2. Malignitas est mala voluntas hominis, cum ultra non possit: vel beneficiis grates non referre. *August.*

3. Malitiæ comes individua est miseria. *August. in 59. Psalm. 22.*

4. Malitia est per quam moribus deceptoris veritate palliata, vel odium alterius, vel proprium commodum attenditur. *August. in quadam epist.*

5. Malitia, est mentis atque animi depravatio à tramite veritatis devia, quæ in curiosorum animos frequenter obrepit. *Ambros. in Hexam.*

6. Mala non sunt, nisi quæ crimine mentem implicent et conscientiam ligant. *Ibidem.*

7. Sicut ignis amoris mentem erigit: ita ignis malitiæ involvit: quia et Spiritus sanctus cor quod replet, elevat, et ardor malitiæ ad inferiora semper incurvat. *Greg. super Joëlem.*

8. Mens prava semper in laboribus est, quia aut molitur mala; quæ inferat: vel metuit, ne sibi ab aliis inferantur: et quidquid contra proximos cogitat, hoc contra se cogitari à proximis formidat. *Gregor. 12. Moral.*

9. Velocius malitiæ parva scintilla consumitur, quam virtutis ignibus concalefacere possimus: nam et melli